

# FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto filio **Maximiliano Matjaž**, e clero metropolitanae Sedis Mariborensis, hactenus Professori Sacrae Scripturae apud Facultatem Theologicam Labacensem, electo Episcopo Celeiensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quemadmodum granum sinapis exiguum quidem est mole, sed ignea praeditum efficientia et in angusta loci portione seminatum magnos circumfert ramos, ita et persuademus fidem in anima maxima peragere atque in nos conferre virtutem, quae super humanas vices operatur ~ cfr. s. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. mystag. 5, 11. Nos autem, onere gravati fratres in fide confirmandi, diligentissime nunc considerantes adiuncta Ecclesiae Celeiensi, quae post renuntiationem Venerabilis Fratris Stanislai Lipovšek, novum expectat sacrum Pastorem, de te, sane, dilecte fili, cogitavimus, quem in theologia ac Sacrorum Librorum scientia novimus peritum clericumque instituendi studio delectum, ideoque episcopalibus muneribus navam operam dare posse arbitramur. Audito ergo Congregationis pro Episcopis consilio, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, te Episcopum **Celeiensem** constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus. Ordinationem episcopalem ubivis extra Urbem, servatis liturgicis normis, a quolibet catholico Episcopo suscipere poteris. Tuum autem erit prius fidei professionem facere atque iusiurandum fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dare, ad ecclesiasticae legis normas. Edoceas volumus clericum et populum dioecesis tuae hoc de Nostro decreto, quos omnes adhortamur, ut, te moderante, Christi voluntatem sincero corde sua in cotidiana vita adimpleant. Dominum insuper peculiari studio deprecamur, ut praestet tibi, dilecte fili, suavi et vivo Scripturae Sacrae affectu imbuto, corda fidelium verbo Dei uberius irrigare atque in eo fontem vitae invenire, quippe qui intellegant quod sequantur et sequendo vitam obtineant sempiternam, Beata Maria Virgine et sancto Ioseph eius Sponso intercedentibus. Datum Romae, Laterani, die quinto mensis Martii, anno Domini bis millesimo vicesimo primo, Pontificatus Nostri octavo.

Franciscus

Franciscus P. P. P. P. P.

